thii habuére ad fidem converſi, exorti ſunt Doctores.

v. 12. Λοιδορούμενοι, εὐλογοῦμεν. Διωκόμενοι, ἀνεχόμεθα. Βλασφημούμενοι, παρακαλοῦμεν.

Ex Chriſti præcepto Math. V. 10. 44. Παρακαλοῦμεν nempe DEū. DEū pro ipſis precamur. In Matthæo Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ἡμᾶς. Pro βλασφημούμενοι in Manuſcripto eſt δυσφημούμενοι. Habes id verbum apud Græcos ſcriptores ſæpe & 1. Macc. VII. 4 ut & nomen δυσφημίας 1. Macc. II. 38.

v. 13. Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν.

Reperitur hæc vox περικάθαρμα Prov. XXI. 18. & ſignificat luſtramen. Sic & Ambroſius hunc locum citat: *Tanqvam luſtramenta hujus mundi facti ſumus.* Sicut περικαθαίρειν, idem qvod καθαίρειν Joh. V. 4. Deut. XVIII. 10. Ita περικάθαρμα idem qvod καθαρμά. Solebant ad id viles homines adhiberi. Mater Menæcei apud Papinium Thebaidis. X.

Luſtratem ne feris ego te puer improbe Thebis.
Devotumq́; caput, vilis ceu mater, alebam.

Ad qvem locum Scholiaſtes: *Luſtrare civitatem humana hoſtia Gallicus mos eſt. Nam aliqvis de egentiſſimis pellicebatur præmiis, ut ſe ad hoc venderet, qvi anno toto publicis ſumptibus alebatur purioribus cibis: Deniq; certo & ſolenni die per civitatem ductus ex urbe extra pomæria ſaxis occidebatur à populo.* Meminit ejus moris Gallorum & Cæſar libro VI. & Servius ad illud Virgilii: *Auri ſacra fames.* Tales homines non modo qvi morti, ſed & qvi flagris ſe devovebant Græcis dicuntur καθάρματα. Scholiaſtes ad Plutum Ariſtophanis: Καθάρματα ἐλέγοντο, οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος, ἤ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. Et ad eqvites: Ἔφερον γὰρ τι καὶ Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶν τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω, ἤ τοιούτου τινός, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόματον καθάρματα. Et qvia illi viles erant, ut diximus, inde natum teſte Euſtathio, ut καθάρματα dicuntur οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι. Curtius cum dixit purgamenta urbium ſuarum, Græcum illud καθάρματα in mente habuit. Et

Ter-